


ANN. XIX - FASC. II

MENSE FEBRUARIO MCMXXXII

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperime prodit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Edito altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **INTEGRAM ALMAE ROMAE** collectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellarium 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, recto tramite requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Februario MCMXXXII

Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

PIO XI PONT. MAX.

SACRI PRINCIPATVS DECENNIVM ALTERVM
FELICITER AVSPICANTI

Dum supera usque magis virtutis luce coruscas,
Ingenitique micant tot documenta tui;

Dumque piae Gentes alacri Te laude salutant
Ac exsultantes Te mage honore colunt,

Accipe quae surgunt sincero e pectore vota
Post bina ex memori condita lustra Die:

Ad multos annos, semper florente senecta,
Virgine commissum pasce favente gregem;

Ad multos annos Fidei morumque Magister
Supremum munus Pontificale gere;

Ad multos annos claris laetare triumphis
Intrepidusque doce Religionis iter.

Ex Acheronte furens et mota procella quiescat
Per Te, qui pacis sidera dextra cies;

*Tartareaque licet densemur nocte tenebrae,
Per Te cuncta ruant monstra inimica Deo.*

*At Petri navem tentent si mergere fluctus,
Tu, Virgo Alma, Ducem dirige Stella maris;*

*Numine materno tanto succurre Clienti,
Qui modo Te ornavit laudibus eximiis;*

*Pelle luem et scelerum, quae causa est saeva malorum,
Paciferumque Pii perfice, Mater, opus!...*

Laureti in Piceno.

I. B. FRATINI.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De pronominibus. eleganter usurpandis.

§ III. – De indefinitis.

I. – Indefinita utrum substantiae adiective usurpanda sint, maxime usus docebit. Sic

1º) «quisquis» et «quicumque»² substantiva seu pronomina sunt; v. g.:

Quidquid futurum est sumnum ab imo nascitur (P. S.).

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) «Quisquis» significans «quisque» legitur praeferunt apud priscos autores in sermone communis ac vulgari. Hoc sensu imprimis «quicquid» usurpabant; v. g.: *Ubi quicquid tegerunt* (PLAUT., *Aulul.*, 198). — Cfr. LAURAND, *Grammaire historique latine*, (n. 360).

b) Terminatio «cumque» addita relativis, sive adiectivis sive adverbii, itemque reduplicatio relativa, ipsis sensum relativum conservat et simul universalem efficit; v. g.: *Quemcumque librum legeris*, eius summam paucis verbis in commentaria refer

Male vivit quisquis nescit mori bene.
(P. S.).

Quicumque turpi fraude semel innotuit, etiamsi verum dicit amisit fidem (FEDR.).

Quoscumque de te queri audivi... (CIC., *Ad Quint.*, I, 22, 4).

2º) «Quivis» et «quilibet» sunt adiectiva aut pronomina; v. g.:

Quivis homo potest tibi nocere (CIC.).

Naves totae factae sunt ex robore ad quamvis vim et contumeliam perferendam. (CAES.).

(= summam omnium librorum quos legeris) — *Ubicumque* es, in eadem es navi (= omnibus locis, in quibus es). — Sed quoquo modo sese illud habet (= omni modo quo sese illud habet), haec querela vestra, Tubero, quid valet? (CIC., *Pro Lig.*, 7).

N.B. — Utraque tamen reperiuntur interdum sensu indefinito tantum. Sed facile restitu potest sensus relativus; v. g.: *Quocumque* gladiatorio munere (= quocumque fieri potest munere) prolapsos iugulari iubebat (SUET., *Claud.*).

c) Tamen «quisquis» et «quicumque» sunt adiectiva in quibusdam dictionibus, ut: *quoquo modo, quocumque modo, quacumque ratione*; v. g.: Stet haec urbs praeclera, quoquo modo merita de me erit (CIC.). — Cfr. LAURAND, op. cit. (n. 358).

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest (P. S.).

Necessitati *quodlibet* telum utile est (P. S.).

3º) «Quisquam» fere substantive, «nullus» fere adiective usurpantur, et usurpantur in propositionibus forma aut saltem sensu negativis;¹ v. g.:

Oneris tibi imponere nec audeo *quidquam*, nec debo (CIC.).

Non videtur ars *ulla* esse.

Gramineas hastas, in quibus neque manufactum *quicquam* neque pulchritudo erat *ulla*, concupisti (CIC., *De Signis*, 56, 125).

Et *quisquam* dubitabit quin huic hacten bellum transmittendum sit? (CIC., *Pro Leg. Man.*, 14, 42).

Quod unquam huiuscmodi everrículum *ulla* in provincia fuit? (CIC., *De Signis*, 24, 53).

Estne *ullus* qui, legum metu solutus, ab iniuria temperet?

II. — *Aliquis* indicat rem aut personam quae nullo modo est determinata, sed revera existit, quum tamen eam non cognoscatur.

1 a) Hinc usurpantur 1º) post *vix*; v. g.: *Vix quisquam* reperiuntur qui pecuniam contemnat (CIC.). — 2º) post «*sine*»; v. g.: *Sine ulla maleficio* (CAES.). — 3º) post particulam *quam* in altero comparationis membro; v. g.: *Diutius in illa urbe quam in ulla* commoratus est (= nusquam commoratus est tamdiu). — Delphi Apollinem maiorem religione colunt *quam quemquam* deorum — 4º) post *prohibitionem*; v. g.: *Ne ulla audeat* — 5º) in sententiis dubitativis; v. g.: *Nescio an ulla sit*.

b) In sententiis forma negativis, quum reliqua sententia negationem continet, non usurpatur «*nemo*» aut «*nullus*» (cfr. ALMA ROMA, *De pronominibus eleganter convertendis*, §§ II, VII), sed «*quisquam*», aut «*ullus*»; v. g.: *Nemo poëta quemquam* (vel *ullum hominem*) meliorem quam se arbitratus est. (CIC., ATTIC., XIV, 20). — *Virtus nunquam ulla vi labefactari potest* (CIC.).

N.B. — Item usurpantur «*unquam*» et «*usquam*» non *nunquam* aut *nusquam*; v. g.: *Ita afflitus sum ut nemo unquam* (CIC., ATTIC., III, 12).

2º) Legitur quandoque *aliquis* post negationem in sententiis negativis. Hoc fit quum vel una negatio

scamus.¹ *Quidam*, personam aut rem quam accuratius designare nolumus, quamvis sit determinata et eam cognoscamus; v. g.:

Non est tua ulla culpa, si te *aliqui* timerunt (CIC., MARCEL., 6).

Illos qui omnia incerta dicunt, quasi desperatos *aliquos* relinquamus (CIC., ACAD., 4, 10).

Video esse hic in senatu *quosdam* qui tecum una fuere. (CIC., CAT., I, 48).

Bestiolae *quaedam* unum diem vivunt (CIC., TUSC., I, 39, 94).

III. — Indefinitum «*quis*, *qui*, *quae*, *qua*, *quod*, *quid*», quod non pauci grammatici autumant esse pronomen «*aliquis*», detractis prioribus syllabis «*ali*», minus ponderis habet.² Potissimum usurpatur

1º) post voces «*si*, *nisi*, *ne*,¹ *num*» et *huiusmodi*; v. g.:

altera eliditur; v. g.: *Nulla* est gens quae *non* habeat (= omnes gentes habent) *aliquam* notitiam Dei (CIC.).

— Vel negatio in unam vocem cadit; v. g.: Quae iam oratio *non a philosopho aliquo*, sed a censore opprimenda est (CIC.). — Vel «*aliquis*» sensum exhibet adiectivi qualitatem denotantis; v. g.: *Hunc non possum in aliquo numero* (= *notabili aestimatione*) putare. — Vel, in universum, solummodo gradus huius vocis negatur; v. g.: *Nemo unquam* fuit vir bonus sine adflatu *aliquo* divino (*Si omnis negaretur adflatus, dicendum esset: «sine ulla adflatu»*).

b) In sententiis affirmativis usurpantur interdum «*quisquam*» et «*ullus*», quum pronomen est gravioris ponderis, praesertim post coniunctionem «*si*»; v. g.: *Si quisquam* est timidus in magnis et periculis rebus, is ego sum (CIC.). — *Si ulla* mea apud te commendatio valuit, haec ut valeat rogo (CIC.). — In crucem tu agere ausus es *quemquam* qui se civem Romanum esse dicere (CIC., DE SUPP., 63, 163). — *Cuivis* potest accidere quod *cuiquam* potest (SEN., DE TRANQ. ANIMI, 611).

1 a) «*Aliquis*» opponitur duobus indefinitis «*omnes*» et «*nullus*». — *Quispiam*, minus cetero usitatum, praeterea magis indefinite dicit quam «*aliquis*»; v. g.: *Turpe est plus sibi quempiam* ingerere cibi et vini quam capiat (SEN.).

b) «*Esse aliquem*» et «*esse aliquid*» significat esse in aliquo numero aut pretio (FORCELLINI). —

2 a) «*Aliquis*» fere non usurpatur nisi in propositionibus affirmativis; «*quis*» potest et in negativis usurpari.

Forte meum *si quis* te percontabitur aevum (Hor., *Ep.*, I, 20, 26).

Imperavit ne *quod* telum in hostes rei-
cerent (Caes., *De bel. gal.*, I, 46).

Si qui rex, *si qua* civitas exterarum
gentium, *si qua* natio fecisset aliquid eius-
modi (Cic., *Verr.*, II, 5, 58, 149).

Num quod eloquentiae vestigium ap-
paret? (Cic., *Or.*, I, 9).

Nisi quid de Epaminonda suspicari
libet (Cic., *Brut.*, 13).

Ne quis agrum consecrato (Cic., *Leg.*,
II, 9).

Ne quid detrimenti caperet (Sall.,
Cat., 29).

Ut *ne qua* re egerent (Cic., *Off.*, I, 20).

2º post «*quo*, *quanto*, *quantum*, *quum*
ubi»; v. g.:

Quo quis versutior et callidior est, hoc
invisior et suspectior, detracta opinione
probitatis (Cic., *De Off.*, II, 9).

Quantum quis damni professus erat
(Tac., *Ann.*, II, 26).

3º In formula «*dixerit quis*» et sere
quando aliquid supponitur; v. g.:

Non igitur faciat, *dixerit quis*, quod
utile est? (Cic., *De Off.*, III, 19, 76).

b) «*Quis*» indefinitum fere non indicat nisi
«*subiectum hypotheticum*», ut aiunt, seu «*suppositum*».
(Cfr. LAURAND, op. cit., n. 356).

c) «*Quis*» propriè est pronomen, sed post «*si*,
«*nisi*, «*ne*, «*num*» adiective sumi potest: v. g.: *Nisi quis*
nos Deus respexit (Cic., *Ad Attic.*, I, 13). «*Qui*» est
adiectivum, sed post «*si*, «*nisi*, «*ne*, «*meum*» pro-
nomen esse potest; v. g.: *Si qui* equo deciderat (CAES.,
De Bel. gal., I, 48).

1. «*Aliquid*», non detractis syllabis *ali*, ponitur
post «*ne*» et «*si*», quum individuum non determi-
nandum opponitur vocibus «*omnia*, «*multa*, etc.; v. g.:
Timebat Pompeius *omnia*, ne *aliquid* vos timeretis
(Cic., *Pro Mil.*, 24). — Create consulem T. Atacilium,
non dico si *omnia* haec, sed *si aliquid* eorum praestitit
(Tr. Liv., XXIV, 8). — *Si aliquid* de summa gravitate
Pompeius, multum de cupiditate Caesar remisisset
(Cic., *Phil.*, 13, 1). — Cui *si aliquid* erit, ne egeat,
mediocri virtute opus sit, ut cetera consequatur (Cic.,
Fam., XIV, 1).

N.B. — Universim dicunt *si aliquis*, ubi oppositio
cum *vi* quadam facienda est (FORCELLINI).

4º post relativum «*qui*» et indefini-
tum «*alius*»; v. g.:

Beneficium est *quod quis* non sua causa
dat, sed eius cui dat (Sen.).

Alia quae natura mentis et rationis
expers haec efficere potuit (Cic., *De nat.*
deor., 2, 44).

5º in universum, quoties non multum
commorandum est in pronomine, praesertim
quum propositio est subiecta; v. g.:


Fieri potest ut recte *quis* sentiat (Cic.,
Tusc., I, 3, 6).

Quid interest utrum se ex homine con-
vertat *quis* in belluam, an ... (Cic., *Off.*,
III, 20).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.



DE IAPONIORUM IMPERIO

Iaponiorum nomen, et fasti, quibus imperare Sinensibus sub humanitatis et excultorum morum specie se nunc velle videntur, eorum historiam in mentem revocat, quantumque brevi tempore profecerint et universi orbis admirationi sese dederint. Non enim ante occasum saeculi XIX nostrae humanitatis prima iudicia ipsis innovare: illud ante tempus, historia eorum omnis extra quamlibet nostrarum gentium agnitionem mota est. Duo millia annorum et amplius obserati fines imperii manserunt et externis gentibus inviolati; at vix recepta ab illis sunt civilis rationis monumenta, necopinato fructus uberrimos et mirificos edidere; quae quidem insolita fata historiae documentis contradicere apparent, quae reliquos populos paullatim tantum ad fastigia sua pervenisse ostendunt. Sexto ante Christum saeculo et amplius conditum Iaponiorum imperium dicunt. Origines eius obscurae et fabulosae: popu-

larium traditiones suam gentem a diis obortam asserunt, quum Yimmo-Tenum, primum regem, Amaterasu, solis deae, nepotem fuisse dictent. Duae gentes adhuc per Iaponiam terram distinguuntur: Ainosii primi sunt, qui et indigentes forte fuere; alteri Koropokgorusii, qui dominatores regionis primi apparuerunt; Ainosiorum tribus multae Yesso in insula adhuc vivunt.

Eorum autem historia augmentis rerum et divitiarum augetur magis quam reipublicae mutatione. Si enim principum atque regulorum discordias civilia bella prae-termiseris, reipublicae forma una eadem queatque sibi constans mansit semper. Quae vivendi ratio plane immobilis atque immutata ipsa cura peroptime servata est, qua peregrinorum commercia et leges incolas semper a patria arcuerunt.

Sed cum Sinensibus tandem atque Coreanis prima negotia commutata sunt. Nam tercio ante Christum saeculo Sinensium colonia ad eos deducta est, qui provectiores tunc mores suos diligenter Iaponios docuere. Paulo post sericum textile opus Sinenses apud Iaponios instituerunt, quos peritissimos in re paullatim fieri opus erat.

Sexto autem p. C. saeculo Bouddhae religio a Sinensibus adiecta contra Synthoistarum fidem, quam cives passim tenabant. Eo modo Nirvanae spes illuxit populo atque est diffusa, quum eam prae-sertim Shoto Kudaishi, Bitastu Caesaris nepos, sit patrocinatus.

At volventibus annis et saeculis occiden-tibus, nova religio veterem respuit et minuit, atque idolorum sacerdotes vehementer commovit. Inde fidei odia exorta, quae civiles discordias crudelissimas procurarunt, pugnantibus ex adverso gentibus Taira atque Minamotu. Quod bellum saeculo XII maxime flagravit et vehementissimas iras incendit, sanguinis rivos diffudit, neque ante quam Taira gens absumeretur restinctum est.

Hac primum occasione *Sciogun* auctoritas, seu Caesaris, posita est, dum *Mikado* spirituale imperium gubernat. *Sciogum* autem Yeddi consedit; *Mikado* Kioto in urbe manet. Compositis hoc modo rebus, medio saeculo XVI Lusitani ad Indos, ad Sinenses, ad Iaponios appulerunt. Christiana religio a Francisci Xaverii sociis atque ab ipso Sancto, Kiu-sciū in insula, prædicata est; ea populum brevi adeo vicit, ut primis saeculi XVII annis quingenta millia fidelium iam ibi adnumerarentur, inter quos optimates multi. Tempora pariter Christo plura condita, quorum unum media Kioto in urbe, ipsius *Mikado* sub oculis, eminuit.

At principes et duces novam religio-nem paullatim adeo sibi timuere, ut gene-raliter moverint persecutionem, eamque teterrimam, quo adusque Lusitani omnes regno pulsi sunt et Macao ad portum re-ducti; pauloque post Batavi, hostes catho-licorum sese profitentes, ius commutandi negotia cum Iaponiis a rege obtinuerent.

Iis vero temporibus reipublicae status et forma composita sunt, quae ad nostra usque tempora viguerunt. Optimates *Sciogun* veluti clientes subditi trecenti circiter; eique addicti pariter octoginta millia *hat-temotorum*, sive nobilium ducum; domi-norum militum trecenta millia, quibus nomen *samurais*; plures denique *ronines* seu duces errantes, semper ad pugnandum parati. Hoc ordine gubernata res publica est tria fere per saecula.

At anno MDCCLXIV, quum frustra Ameri-canis rogassent portus duos, Simoda et Hakodata, suis commerciis aperiri, eorum classis Iaponios petuit, atque eius minis ce-dere *Sciogunum* oportuit. Americanos statim aemulati sunt Angli, Russi, Batavi, Galli, quibus pariter morem gerere opus fuit; quum autem iam diu optimates *Scioguni* imperium male ferrent, hanc occa-sionem nacti, in eum insurrexerunt quasi peregrinis nimis faventem; foedus ab eo

initum nullum conclamarunt absque Mikadi auctoritate, atque seditiones excitabant asperrius.

Itaque Kiotum inter et Yeddum urbes bellum initum est: Kioti partem sequebantur qui veterem rei publicae formam diligebant; Yedi qui nova imperio fata cupiebant. Ex bello vero id praeter opinionem evenit, ut novissima Europaeorum studia denique vicerint; qui enim contra peregrinos mortem clamabant Kioti Mikadum sequentes, ipsi adamussim novam suae gentis aetatem Occidentalium gentium ad cultum atque humanitatem accommodatam pararunt.

Nam, postquam, ob peregrinorum clades anno MDCCCLXIV patratas, classes Anglorum, Gallorum, Batavorum et Americanorum Simonosaki oppida deleverunt, quum Komei Mikadus obiisset, circa eius hereditatem novum bellum acerrimum idque civile surrexit, donec Sciogun princeps suo regno se abdicavit. Tunc itaque Mutshuistus Mikadus imperium unus asumpsit, atque anno MDCCCLXVIII labente Kiotum liquit, et Yeddum ingressus est, cuius nomen in Tokium commutavit. Statim autem coactis optimatum comitiis protestatus est sese vetus regimen deserere velle atque populari auxilio regnare.

Hoc modo populi suffragiis tradita res publica, et novum regnum et nova fata inita sunt.

* *

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

Qua ratione sit «Aeneidos», IV, 84-85, intellectus recte exprimendus.

Quae de Didonis insanis, aestuante cupidine, versibus 65-89 in quarto Aeneidos habentur, argutissimo cuique interpreti,

tum verborum compositione ornatuque dicendi, tum praecipua quadam scientia de curis, quae in foeminis amore sauciis carent, unice probata sunt. Nam iactata, miserae corda, mentem labantem, sollicitos animos vicissimque defractos, ad naturam penitus miris utique modis, vestigia singula furoris persequendo, praeclarus poëta ita expressit, ut facile conveniat inter litterarum peritos, nihil diligentius aut subtilius de hac re apud poëtas scriptum fuisse.

Huc autem accedit, quod is locus, bene insipientibus eum, plurima præ se ferre videbitur cum moribus animisque hominum, qui nunc sunt, scite congruentia: qua quidem conditione nihil dubito asseverare, eo profecto Latini esse prædictum opus, quod ipse veram humani ingenii speciem, illaesa vetustate, perpetuum vegetantis, præ oculis habuerit et suavi numero præsentibus verbis consequi valuerit.

*Uritur infelix Dido totaque vagatur
Urbe furens,*

tanquam possit animo, commutando locum, labores Veneris excutere, quod indicium habetur hominis vehementer exagitati avio inconstantique consilio.

*Incipit effari mediaque in voce resistit,
sive ad moras verborum contextum, explorata ratione, praecedit, ut colloquendi spatia cum viro producat, sive continuo expugnata curis, lingua præpeditur et infringitur vox, unde oratio suspensa intercipiatur.*

*Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit,*

quippe quam non res narratae tantum quantum ipse narrans adficiat.

*Sola domo moeret vacua ... illum
absens absentem audit videtque: mirus
amantis affectus, quae, conlectis imaginibus
consumpti diei, noctu evigilans,
quem sibi desiderat, illum sibi conspicere
atque audire videtur. Quae omnia patent.*

At de sensu versuum, qui sequuntur, vulgo recepto, nunquam adquiescere quivi, quin communem persentiscerem intellectum, quaedam notanter a Vergilio in foemina malesana celebrata, imprudenter praetervolasse. Verum in primis carminum ipsas voces referam:

*Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta
Definet infandum si fallere possit amorem. (84-85).*

Ubi, ni fallor, potissima res est de illis verbis *genitoris imagine capta* pleniore sententia intelligendis. Cum enim nomen illud participium *capta* in nominativo casu sumptum apud plerosque inveniam idemque cum Didone constructum, aut certe in ablativo, sólida locutione ad Ascanium adiecta, quae similitudinem patris in eo exsistente significet, aliter tamen prorsus censeo tria illa verba, quae supra dixi, intelligi posse, ne exquisita quaedam deliri amoris industria a Poëta subtiliter composita, legentes lateat pereatve prætermissa. In quo fere interpretes lapsos repperio, quippe qui per ea verba significari contendant, reginam captam, i. e. commotam, similitudine Aeneae, quam filius Ascanius corpore gereret, puellum gremio suo portare consuesse, ut libidinis ardorem specie paterni vultus temperaret. Ita veteres Servius et Tiberius Donatus, ex illis, qui feruntur, in libros *Aeneidos* commentariis, eosque secuti sunt recensiones, faciendo Didonem amplexantem illectam similitudine.

Mihi vero inclinat animus, ut *genitoris imagine capta* ratione absoluti, qui vocatur, ablative accipiam et commodiorem multo sensum, ut mihi videor, eundemque acriorem exculpam. Nam cum, soluto pudore, secreto incendio tota torreretur regina, stante nihilominus verecundia populi, clam procurabat, ut adfixam cordi cupidinem exquisitissima quadam industria et disiunctissima ab amandi recta vulgataque ratione, expleret illudendo. Denique

universum locum omnino ita explicet: regina se, in amplexando Ascanium, nequam ipsum Ascanium, prout reapse amplexabatur, amplexari, sed Aeneam illum prorsus vi cogitationis effingebat, in Ascanio non Ascanii imaginem, sed genitoris capiendo, idest deprehendendo vel captando. Non enim decepta convenientia speciei puerum amplectebatur, ut interpretantur fere, sed pueru blandiens, sibi, data opera, suadebat ipsi se viro blandiri quod si omnino persuasisset, utique *amorem fallere* potuisset.

Quod tam audenter meam sententiam protulerim, vel temere mentem Vergili temptando, doctissimos lectores spero veniam daturos.

Lugani, in Helvetia.

ROMANUS AMERIO, Dr. Phil.

DE ANIMANTII STUDIO APUD ROMANOS

Ex lupae pietate Romulus, Urbis conditor, incolumis servatus esse traditur; at Romulea gens nullam erga animantia grati animi significationem exhibere visi sunt; quamquam enim circenses ludi duo vix postrema per saecula reipublicae orti sunt, Quirites tamen etiam per primum tempus belluas parum humanis modis habuere.

Quid, quum Cato ipse consul ex Iberia rediens in Urbe, bellicum equum suum ibi dereliquit, ut publicis expensis aliquantulum parceret?

Quae quum Plutarchus enarraverit, addit: «Utrum haec cautam animi magnitudinem an pusillanimitatem indigit ipse lector dijudicet».

At vicissim, quum circensis spectacula frequentius in dies proponerentur, de alienis atque curandis belluis Romanus po-

pulus nimis usque cavebat, neque aliud interdum cogitare videbatur, quamvis eorum cruciatus avidi et laeti semper in arena intuerentur.

Nam feritatis sensus ex uno in alium quasi contagium diffunditur, quem nec christiana lex valuit momento temporis submovere. Neapoli enim ad saeculum usque XIV gladiatori ludi habebantur, quos et Franciscus Petrarca, Columnensi Purpurato viro scribens, horrenti animo enarrabat, dicens se hominem necari quum viderisset uno spectantium oblectamento, ausus gignit America, vinceret.

Tunc Ioannes Pp. XXII excommunicatione vulgata interdixit ne quis similibus ludis aut adesset aut digladiaretur; attamen vetanti Pontifici nemo morem gessit, quoque Carolus rex Pacificus crudeles ludos auctoritate sua regno submovit.

Quae cum Christifideles proiecta iamdiu humanitate patrarent, eadem mirum non est Quiritibus delectationem attulisse, quamquam et eos inter non defuerint, qui tantam crudelitatem improbarent. Cicero enim miseris illis spectaculis nullimode gaudebat, aiebatque sese intelligere non posse, quomodo bellua telo confossa aut laniatus homo tantam pararent hominibus delectationem. Attamen philosophi atque prudentes viri, ne quidquam de republica maledicerent, cuius sumptu ea spectacula habebantur, omnino de re silebant.

Neque adhuc innotuit quo pacto tanta bestiarum multitudo Romam adduceretur; nam quum Amphitheatum Flavium primum populo patuit, quinque belluarum millia caesa sunt, sex autem millia domesticarum: sorte qui longinquis in provinciis praetores erant tot belluas Romam mittebant, ut de Senatu et populo bene mererentur. Magno autem numero belluas et privatorum sumptu advehabantur, qui eas deinde in foro venum dabant. Neque aliud initium Crassi odium in Caesarem habuit, quam quia Caesar leones duos sibi

emerat, quos Crassus populo donare statuerat.

Nam quisquis de capessenda republica cogitaret aut gloriam et ambitum captare vellet, permagna in circenses ludos ita erogabat, ut Romanus quisque locuples liberalitate publica hodiernos omnes Croesos, quos gignit America, vinceret.

Simmacus olim, imperii patricius, narratur bis millies centena millia auri in haec dispersisse; atque tamen, quum dies indicus adfuit, omnia imparata erant, vix paucae belluae aderant, deerant ursi atque leones, crocodili Romam ducti nec potum sumere nec cibum volebant, ita ut eos interficere oportuerit, ne fame perirent; Saxonies vero captivi triginta ad ludos selecti, sese invicem in carcere iugulaverant, ne populo spectaculo essent.

Erant vero et incruenta spectacula proposita pueris, qui eis maxime delectabantur. Ludi erant ridiculi et ioculares; at quomodo plebs, sanie et sanguine assueta, innocentiae miracula dilexisset? Contra, plebs quoque iis aderat frequens, neque iam, uti Sanctus Iacobus scripsit, animal aut avis Romae erat, quae non erudita esset ad ludos. Erudiebantur equi atque boves; nec simiae deerant, quamquam per rarae; omnium vero peritissimi canes, quos adeo optime Romani docebant, ut in scaenam prodirent personam scaenicam acturi.

Huiusmodi belluarum studium omnes ita animos subvertebat, ut leones usque veluti amicos et comites homines haberent, canes tamquam filii haberentur, aves, rari praecipue et versicolores, aureis caevis custodirentur per domos. Ipse Tullius canes valde diligebat, eosque inter atque homines hanc differentiam instituit, canes praesens tantum tempus inspicere, de praeteritis et futuris minime sollicitos; homines contra et praeterita et futura recte pendere, et experientia duce futuris eventibus prospicere, ex causis effectus prænoscere

mentisque complexu totius vitae semitam dimetiri.

Seneca etiam Marcusque Aurelius Caesar benevolentiam in belluas edocuerunt, neque philosophi desuere, qui carnibus animalium abstinendum censerent, ut Pithagorici, qui animarum transmigrationem in belluas fieri credebant. Itaque Seneca ad annum carne abstinuit; sed, quum a Tiberio Caesare edictum esset, ne talis abstinentia servaretur utpote vetitarum religio num indicium, ad carnium cibos rediit, quamquam parcissime.

P. d. V.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE NOVIS LEGIBUS « HEREDITARIETATIS ».

Inter leges de « hereditarietate », quae legibus a Mendel propositis superadditae fuere, quaedam a Prof. P. Enriques ex Athenaeo Patavino enunciatae sunt.

Opus eius nuper praemio donatum est a Pontificia Academia Scientiarum.

Speciali nota digna habenda est quae « variabilitatem liberam » respicit; et sic effertur: « Factores hereditarii immutari possunt alii ex aliis libere, et ex eorum mutationibus similitudines methodicae efformantur ».

Exemplum habeas. Si in quadam specie scissio duorum characterum fit, progenies quae ex illa derivatur dupli generi constat, et fieri potest ut unaquaeque, altera ab altera per se, novam scissionem admittat, ita ut quattuor fiant genera, ut A, B, C, D, quorum A et B commune habeant unum character ex prima specie, C et D aliud, sed A et C ex una parte et B

et D ex alia commune habebunt aliud characterex secunda deductum, atque ita porro.

Et sic efformantur genera individuum, cuius affinitates permutantur.

Lex haec, quae primaria est in genetica, optime cohaeret cum lege « paralleliismi morphologici » a me proposita.

T. Colosi.

DE CYCLOPIBUS.

Iam a multo tempore monstra mammifera nota sunt, unum tantum oculum habentia, qui ex duobus, in normalibus existentibus, superpositis esset.

Stockard experientia demonstravit fieri posse ut ex plurimis piscium ovis nonnulli cyclopes evadant, opportune disponendo conditiones in quibus ova ipsa evolvuntur. Idem obtinuerunt Leplat et Cotronei in ovis amphibiorum evolvendis.

Idem et ipse nuper consecutus sum in Cephalopodis, qui natura pollent omnino diversa a Vertebratis.

Processus evolutionis in cyclopibus videatur explicari in experimentis ab Adelmann exercitis in Amphibiis: perdurante evolutione fetorum efformatur prius parsilla neuralis anterior quae oculos constituet, et simul zona illa quae interposita manebit. Huius autem constitutionem prohibere possibile evadit, et sic unus tantum oculus efformabitur; cyclops nempe efficitur.

S. Ranzi.

NOTITIAE.

DE PRAEMIO ASSIGNANDO IN STUDIIS BIOLOGICIS A « PONTIFICA ACADEMIA SCIENTIARUM ».

Certamen ab Academia indictum iam initio anni elapsi, duodecim attulit studia, quorum quatuor lingua Italica, tria Anglicula, quatuor Germanica, unum Polonica.

Examini virorum ad rem ab Academia delectorum subiecta sunt, et in sessione sollemnisi, die vigesima mensis decembris 1931,

habita coram Summo Pontifice Pio XI, iudicium prolatum est.

Praemium decem millium libellarum tributum est Dri. Paulo Enriques ex athenaeo Patavino; opus tum a Dre. Fraser Darling ex Athenaeo Edimburgensi, tum a Dre. Carolo Jucci ex Athenaeo Turritano peculiari laude digna censentur, et praelo danda.

DE «ORBITOLINIS».

Dr. Silvestri Lyncaeus novo subiecit examini orbitolinas ex America septentrionali, quae ab aliis proposita erant ut «orbitolina texana» (Roemer); «orbitolina Whitneyi Carsey» et «orbitolina Walnuttensis Carsey». Is existimat primam et secundam speciem vere ad orbitolinas pertinere et quidem varietatem texanam, tertiam vero apprime cohaerere cum «Dictione aegyptio» (Chapman), qui prius in eocene medio Aegypti repertus est.

Chapmaninas vero ipse Auctor novas invenit prope Visso in Apennino umbro-peniceno.

DE MINERALOGIA ARCIPELAGI ARCTICI.

Ex collectis ab Umberto Nobile, Lyncae, in expeditione polari huius anni, I. De Angelis d'Ossat, Lyncaeus et ipse, examini subiectis, haec praecipua reperit: ammonitum, quartum, calcedonium, calcitis drusa in crystalla contracta, arenaria rosea, marna rubra, basaltus porflicus, vegetalia fossilia in carbonem redacta; quae omnia in insula Hooker inventa sunt.

Ex Nova Zembla autem proveniunt quarsites schisti filladici et seritici, arena nigra staluminata.

DE «GLOBICEPHALO»

AD LITUS TYRRHENI INVENTO.


A. Neviani, Lyncaeus, nuper descripsit exemplar quoddam «globicephali» ab ipso detecto apud oppidum Ladispoli, qui ad

speciem, cuius nomen «Globicephalus melas», pertinet.

Hac occasione multa addidit, quae ad historiam et ad bibliographiam de cetaceis inventis in Mediterraneo valde conferunt.

DE NOVA SPECIE COLEOPTERUM.

P. Luigioni, Lyncaeus, novam speciem coleopterum, generis «Amphimallus Latr.», e familia Scarabaeidae, invenit in exemplaribus a Francisco Vitale collectis in Sicilia apud Messanam. Nomen habebit a «Vitale».



AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctribus collecta.¹

§ 442. – Tabidis dentes livescunt.

§ 443. – In multis adest multus adeps in ventre et toto corporis habitu. Item *εὐσαρχία* bonitasque coloris, quum tamen viscera ipsa, id est hepar et lien, putria in eorum cadavere reperiuntur.

§ 444. – Statim initio mensis novembbris an. 1573 hyems incepit algidissima, quae ad mensem martium saevit; et post hominum memoriam nunquam observata fuit tam diurna. Aquilonia erat constitutio. Exacta hyeme, mense martio, omnes pene pleuritides, funeste, nullis cedebant remediis; epidemicae erant, et cacoëthes; sine ullo vehementi motu prehendebant. Dolor erat fugax, et quum aegri bene habere putarentur et immunes a dolore lateris,

Cfr. fasc. sup.

interibant. Erant autem sero acri, indomiti, cuniculos et viam sibi parante, erysipelatodes, non phlegmonodes. Non erat magna difficultas spirandi, sed dolor tantum mediocris: et hinc decepti medici. Ingens erat sitis, leipothymiae erant; et, praeter rationem, vires vacillabant. Nil commemorabile expectorabant. Vagabantur innumeri herpetes, aptae pueris: pauci ab aptis immunes fuere. Pustulæ in extrema lingua sero plenae. Plures istas aptas contempserunt, tamquam leve malum et inauditum; sed in caneros abierte. Quum talis viget constitutio, frequentibus purgationibus, et ptyolismo morbos antevertere oportet.

§ 445. – Constitutione anni 1574, mense iunio, iulio, augusto, febres vagabantur mali moris. Quotidianas intermittentes mentiebantur. Exacerbationes omni nocte. Interdiu bene habere videbantur. Initio quidem erat febris vacuitas; sed post unum atque alterum paroxysmum erat assidua febris. Noctes omnibus implacissimæ; interdiu mens integra, doloris quaedam vacuitas, sed linguae ariditas, amaror, aversatio ciborum, sitis, iactaciones: vesperi hinc semper aut caloris, aut frigoris reaccendebar febris, molesta maxime, cum atrocissimo capitil dolore, mentis alienatione, ingenti siti, vacuitate somni. Mane summa imbecillitas, et saepe sudores frigidi, pulsus exilis, inaequalis; calor aridus; pulmo quibusdam formicans. Iudicium nono, aut undecimo die, subinde cum magno vitae discrimine. Aliis febris protracta, et sine crisibus fere soluta. Parotides multis apparuerunt, aliis funestae, aliis non. Multis obortae maculae rubentes, mox livescentes cum summa membrorum contractione; eas graeci *ἐχαρθύματα* vocant, CELSUS papulas vertit, quod in epidemiis multis contigisse vidimus, magno aegriorum periculo. Parotides ideo multis periculosae sunt, tum quia morbo impares sunt, tum quod omnis translatio

ab infimis partibus ad superiores sit perniciosa. Febres ad hemitritaeas et tritophyes accedebant. Vidimus multos, quibus fluxerat alvus excrementis biliosis, ut ait Hippocrates, cum borborygmis: sed isti flores parum proderant; tamen praestabilitis erat, alvum quomodocumque fluere quam subsistere; nam materia morbofica excernebatur. Tamen si quae excernerentur substitissent, deterius actum esset cum aegris; adeo quae iniiciebantur in corpus alimenta, corrumpabantur. In pestilentibus et male moratis morbis, qualescumque excretiones iuvant. Aliis fluente etiam alvo cardiogmi remanebant. Aliis *ἀπροαιρίτως* fluxit alvus cum mentis laesione atque comatosa dispositione, atque evaserunt; adeo natura iuvabatur hac excretione, licet symptomatica foret; urinae nullis erant flammeae, sed saltem boni erant coloris. Eodem tempore grasabantur variolæ mali moris.¹

§ 446. – Ante ruptionem variolarum in aliquo homine, BALLONIUS vedit summam difficultatem deglutiendi. Metu synanchis, secta vena est, quum etiam adesset insignis febris. Datum clyisma. Die sequenti copiosae variolæ, et brevi convaluit.

§ 447. – Puto catharsin aut vomitorium necessarium omnino esse in epidemicis variolæ mali moris. Si corpus fuerit probe purgatum, aut paulo ante variolas, aut ante earumdem eruptionem, etsi eae mali moris sint, saepe tamen contingit ut absque pravo symptomate decurrant. Hinc ratio haberi potest, meo iudicio, quare variolæ, alias ex malignarum familia, nihilominus felicissime et absque ullo malo symptomata decurrant. (STOLL).

§ 449. – Secundum BALLONIUM apparatus crudus in ventriculo, e. g. bilis copiosa, ingesti immodi fructus horaci etc., si magnas faciat anxietates, cum pulsu febrili,

¹ BALLONIUS variolas vocat *morbillos* (STOLL).

facit febrim *ἀστοδήν*, sive *anxiām*. Si vero ex eadem causa extima algeant, urantur interna, erit *Iypyria*. Notat *STOLL*: *Assodes ergo et Iypyria sunt una eademque febris eodem modo curantur, scilicet cholera artificialis: Pertinent ad febres Tissotio-biliosas dictas.*

§ 450. – Nunquid in vulgata hydropicorum curatione plurimum ubique aberratur? Nam quum hepar hydropicorum vitiosum sit, exsuccum et per quemdam mārasnum arefactum, tamen saepe et confertim dantur scammoniata, antimonium, succus ebolorum, sambuci, thymaleae, chameleae, tithymalorum. Numquid adaugeatur hepatis intemperies, numquid malum mālo cumulatur et augetur perpetua generatio? Nullo proiectu omnia haec propinata vidimus. Imo ab his multos interiis testamur, quod serum utile traxissent, et maiorem sitim, calorem, febrem, squalorem corporis attulissent, etc. An non alia medendi ratio, et num potius paracentesis conferat, quam nullo profectu, et cum auctiōne causae ista medicamenta praescribuntur? — Mea methodus in tali casu est sequens: danda sunt ea, quae solvunt, ut cichoracea, omniaque intybacea, etc. cum iis, quae vires sustentant. At vero quoniam aquarum colluvies iam adest, ea non evanquātibus, utpote quae semper debilitant, sed paracentesi etiam saepius instituta tolli debet. (*STOLL*).

§ 451. – Quum e pulmone sanguis reicitur tussi, ille omni arte reprimi debet et solet: an hoc verum? Si febris adest, constat, et est extra controversiam omnem, non debere sisti, nisi quum sufficienter et imminutus et alio revulsus fuerit necessaria venae sectione. Hoc *GALENO* (*Comment. in aphor.*) videtur quod inflammationis magna sit suspicio: an tum malum est e pulmonibus sanguinem educi?

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

COLLOQUIA LATINA¹

VI.

Scriptio.

MANRICUS, TITUS, PUER, MAGISTER.

MANRICUS. – Adfuisti hodie, quum ille haberet orationem de utilitatibus scribendi?

TITUS. – Ubinam?

MANR. – In auditorio gymnasi.

TIT. – Minime vero. Sed tu recense, si qua haeserunt memoriae.

MANR. – Quid ego recensem? Dixit tam multa, ut omnia prope exciderint.

TIT. – Contigit ergo tibi, quod de vasis angusti orificii Quinctilianus dicit, quae superflusam humoris copiam respūunt; sensim si instilles, recipiunt. Sed nihil retinuisti penitus?

MANR. – Propemodum nihil.

TIT. Aliquid igitur.

MANR. – Perpusillum.

TIT. – Istuc ipsum perpusillum fac mihi etiam commune.

MANR. – Primum omnium aiebat esse perquam admirabile, tantam varietatem humanarum vocum paucis potuisse litteris comprehendendi; deinde amicos absentes posse inter se, beneficio litterarum, colloqui et aperire quae sentiant, tanto intervallo regionum, missa chartula aliqua, maculis nigris distincta. Haec ille, et alia permulta, quae sum oblitus.

TIT. – Quamdiu dixit?

MANR. – Horas duas.

TIT. – Et tam longa oratione haec tandem mandasti memoriae?

MANR. – Mandavi quidem memoriae, sed ea noluit retinere.

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. – Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

TIT. – Plane dolium habes filiarum Danaī.

MANR. – Immo excepti cribro, non dolio.

TIT. – Accersamus aliquem, qui tibi ea quae ille dixit redigat in memoriam.

MANR. – Mane tamen; nam aliud quidam cogitatione quaero. Teneo.

TIT. – Eloquere tandem: cur non exci- piebas penna?

MANR. – Non erat ad manus.

TIT. – Ne haematites quidem?

MANR. – Ne haematites quidem.

TIT. – Exprime hoc tandem.

MEN. – Aufugit iam: tu excussisti mente, tam odiose interpellando.

TIT. – Hui! tam cito?

MANR. – Rediit in memoriam. Ex auctoritate nescio cuius scriptoris affirmabat, nihil esse ad magnam eruditōnē compendiosius, quam probe ac celeriter scribere.

TIT. – Quis est auctor?

MANR. – Nomen saepe audivi, sed memoria effluxit.

TIT. – Ut cetera; sed huic praecepto non parent multi, qui pulcrum et decorum sibi esse ducunt, nescire litteras formare: dicas scarificationem esse gallinarum; et nisi praemonitus sis, cuius sit manus nunquam divinaris. Et ea de causa vides, quam crassi sint homines, quam amentes et opinionibus corruptissimis. Visne ergo, ut nos a vulgari ista inscitia vindicemus? Tradamus nos huic exercitamento.

MANR. – Nescio quo pacto, naturale est mihi distorte, inaequaliter, perturbate exarare litteras.

TIT. – Exerceas te; nam assuefactio mutabit quod naturale esse ducis.

MANR. – Sed ubi magister habitat?

TIT. – Ex me tu id quaeris? Qui nec audi vi hominem, nec vidi, quum ipse eum audieris: tu, quantum intelligo, velles omnia ingeri tibi praemansa in os.

MANR. – Nunc commemini: aiebat, sibi

domum conductam iuxta aedem sanctorum Iusti et Pastoris.

TIT. – Est ergo vicinus tuus: eamus.

MANR. – Heus! puer, ubi est magister?

PUER. – In illo conclavi.

TIT. – Quid agit?

PUER. – Docet quosdam.

MANR. – Significa illi, adstare hic prae foribus, qui huc etiam veniunt, ut ab eo edoceantur.

MAGISTER. – Qui sunt pueri isti? Quid petunt?

PUER. – Te cupiunt convenire.

MAG. – Admitte eos ad me recta.

MANR. – Optamus tibi salutem et omnia prospera, magister.

MAG. – Et ego vicissim vobis felicem huc ingressum. Quid est? Quid vultis?

MANR. – Institui abs te circa artem istam, quam profiteris, si modo vacat et si vis.

MAG. – Profecto oportet vos esse pueros honestissime educatos, qui et sic loquāmini, et tam modesto sitis ore. Nunc vero magis, quum tota facie suffudit se vobis rubor: confidite, filii; nam iste est color virtutis. Qui vocamini?

MANR. – Manricus et Titus.

MAG. – Venistis hue armati?

MANR. – Armatos dicis...

MAG. – Scilicet armis scriptoriis: theca pennaria cum pennis.

TIT. – Quid est rei theca pennaria? An ea, quam nos calamariam appellamus?

MAG. – Ea ipsa: nam antiquissimi homines solebant stylis scribere, quibus successerunt calami. Aliqui, si quos vidistis, scribunt suis arundinibus a dextera in sinistram, sicut omnes paene ad Orientem nationes. Europa, Graecos sequuta, contra, a sinistra in dexteram.

TIT. – Ita etiam Latini, iam suo tempore?

MAG. – Latini quoque, filii; et olim veteres Latini scribebant in membrana de-

leticia, quae vocabatur *palimpsestos* cum una tantum facie; nam qui utrinque erant libri conscripti, *epistographi* dicebantur. Sed haec alias. Nunc ea quae instant. Recentiores anserinis pennis scripserunt, et etiam gallinaceis, donec per chalybeos illos multiformes apices, calamis inserendos, quos *stilulos* non iniuria appellaverim, ad priscos mores quodammodo redivimus.

MANR. – Ut vero pennis exarabant?

MAG. – Dectractis plumulis scalpelio, et erasa, si qua esset, scabritie, primum omnium rescindebant utrinque caput peniae, ut fieret bifurcata; tum in superiore parte incisuram faciebant scalpelio sensim ducto; hinc aequabant duos illos pedunculos, seu *mauvultis* nominare, *cruscula*: ita tamen, ut altius esset dexterum, in quod penna scribendo incumbit; id vero discrimen vix perceptibile esse debebat. Tum penna in promptu erat.

TIT. – Non sine tamen aliqua peritia; bene hodiernae pinnulae tot hisce agendis nos expedierunt!

MAG. – Certe. Sed profer atramentarium.

MANR. – Atramentarium?...

MAG. – Habes forte, suo loco, novissimum *stilographium*?

MANR. – Non; sed atramentarium elapsum est mihi venienti huc.

MAG. – Puer, profer ampullam illam atramentariam; ex ea effundas in hoc mortariolum plumbeum.

MANR. – Sine peniculo?

MAG. – Ita hauries atramentum liquidius et commodius; nam in gossipio, vel in filo bombycino aut lineo, quum pinnulam intingis, adhaeret semper apici fibra aliqua vel flocculus, in quo detrahendo fit mora scriptio; aut, si non detrahias, litteras verius effingas, quam litteras.

TIT. – Ego, ex sodalium consilio, linneolum Melitense indo, aut filum bombycinum leve ac tenue.

MAG. – Istud vere est satius; at multo praestat solum atramentum infundere in

mortariolo quidem fixo; nam quod circumgestandum est, huic omnino opus est peniculo. Ceterum habetis chartam?

TIT. – Hanc.

MAG. – Asperam admodum, et quae pinnam remoretur ne inoffense decurrat, quod est studiis noxiom; nam, dum luctaris cum scabritiae chartae, elabuntur multa ex iis, quae scribenda cogitaveras. Hoc genus chartae amplae, densae, durae, scabrae librarii relinquunt; quae ideo *libraria* nuncupatur, quod ex ea fiunt ad diuturnitatem libri; nec illam quotidiano usui paraveris grandem, vulgo *imperiale*. Acquisite vobis chartam epistolarem, quae in Italia conficitur optima, tenuissima et firma; vel vulgarem illam, quam ex Gallia important, passimque invenietis venalem in singulos codices nummis octonis, plus minus. Dabitur et vobis pro corollario philura una aut altera chartae *emporeticae*, quam *bibulam* dicimus.

TIT. – Quae est horum nominum ratio?

MAG. – *Emporetica* de graeco venit ab involvendis mercibus; et *bibula*, quod atramentum absorbeat. Ita non erit vobis opus furfuribus aut sabulo, vel pulvere de pariete eraso quo, improbando quidem more, vos pueri uti soletis. Sed omnium optimum est, quum per se litterae exsiccantur; eo enim modo diuturniores fiunt. Proderit tamen *emporetica*, quam sub manu extendatis, ne sudore aut sordibus maculetis papyri candorem.

MANR. – Cedo iam nobis, si videtur, exemplar.

MAG. – Primum abecedarium, deinde syllabatim, tum verba coniuncta ad hunc modum: *Disce, puer, quibus fias sapientior, et proinde melior. Voces sunt animorum signa inter praesentes; litterae inter absentes.* Haec effingite et redite huc a prandio, vel cras, ut scripturam vestram emendem.

MANR. – Faciemus; interea commendamus te Deo.

ANNALES

Nationum Societas et discrimen inter Iaponiam et Sinas.

Societatis Nationum supremum consilium, Genevae iterum congregatum, in acta statim referre debuit Sinensis legati contra Iaponiam reclamations: « Sinensis territorii — inquit — ducenta millia pedum invasa et occupata a Iaponiis sunt: quod factum negari nequit... » Negavit ex adverso Iaponicus legatus, asserens in Mandchouria vix viginti quinque millia milium esse, qui statim recedent, quum regio a latronibus liberata fuerit; cui quidem rei Sinense gubernium impar videtur... Ita verborum concertatio inter utramque partem renovata est; dumque Genevae consulitur, Iaponii, Sinenses incusantes, quod contra se omnibus modis cives commoveant atque commercium omne in dies magis ipsis intercludant, Sciangai urbem terra marique, et aethere appetunt, Nanchinumque igniferis missilibus ita aggrediuntur, ut cogant civilem omnem administrationem Loyang transferri, in Hohan provinciam.

Anglia tum et septentrionalis America severe exposunt ut hinc inde ab armis recedatur, utque inter duo castra locus neuter constituantur ab exteris copiis tenendus, unde cives cuiusque gentis faciliter tueantur. Ad eumdem finem et bellicae naves ad Sciangai portum miserunt; earumque exemplum Gallia et Italia imitatae sunt. Interea legatorum manipulus, a Societate Nationum ad inquirendum missus apud Orientales illos bellum inter se gerentes populos, profectus est. Quamquam non proprie « bellum gerentes » dixi; belli gestio belli inductionem conjectura colligit; atqui, in Societatis Nationum obsequium, nec Iaponia Sinis bellum ullum indixit; neque Sinae Iaponiis indixerunt!...

Tornoduri, in Gallia Senonum.

Lausenensis conventus.

Die II huius mensis Februarii Lausenensis de deponendis armis conventus initium habuit, Henderson, Anglicus legatus, praeside; qui in adiiali sermone propositum finem feliciter assequendi fidem professus est. Res vero, contra, haud faustis auspiciis inducitur: cum ea enim quaestio de solvendis debitis connectitur; de qua maximum est discrimen. Namque dum Italia, Anglia, et — id quidem minime mirum — Germania ad remissionem inclinant, obstat acriter Gallia per novum gubernii praesidem et exterorum administrum Laval, qui successit Briando, a munere recessenti valetudinis gratia,... ac fortasse alia quoque de causa, ab hisce quaestionibus non disiuncta.

Ne vero praecurramus eventibus, quos faustos ex animo omniamur; facere tamen non possumus quin animadvertissemus Lau-senensem hunc conventum maximum, qui huc usque fuerint, gentium conventum exhiberi; participes enim eius sunt nationes quattuor supra sexaginta.

Ex Hispania.

Novus quidem rerum ordo in Hispania est constitutus; altera enim rogatio legis alteram sine mora sequitur; harum per unam divortium sanctum est; per aliam Societas Iesu, nulla ratione de eius meritis in Hispania, ubi nata est, habita, supprimitur, eiusque sodales a civitate pelluntur, eorum bonis omnibus in aerarium redactis. Sic illic itur ad astra!

Europae hospes illustris.

Europam peragrat, ut proposita novae vitae populi sui apud singularum gentium

rectores confirmet, Aethiopiae princeps regni heres. Romae hospes, et Summum Pontificem invisit.

POPLICOLA.

VARIA**De Alvaro Bassano.¹**

Alvarus Bassanus, magnus classis praefectus, vir celeberrimus propter difficilimae navigationes ab eo susceptas, crebrasque victorias relatas, a Philippo II, ea tempestate Hispaniarum rege, iussus fuerat ingentem illam classem instruere, quae postea misere ad anglicas oras pessum ivit. Sed quod multae naves, multus commeatus, multa belli praesidia, multaeque erant copiae comparandae, in hoc apparatu ea se celeritate expedire non potuit, quae regi erat in votis. Quare subiratus Philippus eum ad se vocatum ore turbato gravique voce in hunc modum alloquutus est: «Certe in hac bellica expeditione, neque ut ipse sperabam, neque ut tuum officium erat, mihi satis fecisti»; nec plura addidit. Quid? Alvarus erubuit, atque regiis aedibus egressus domum petiit, cubitum ivit, et paucis post diebus dolore animi extinctus est.

Lupus et Grus.

Lupo ovem a se in ovili raptam devoranti os in faucibus haesit. Frustra avidus id extrahere conatus est, metuens, ne hoc sibi mortem afferret. Quum omnis conatus irritus cessisset, ad multa confugit animalia rogans, ut se in hoc infortunio adiuverant, pollicitusque, aequam se mercedem datu-

¹ Italice scripsit P. SEGNERI.

rum. Eum cuncta irrisere, nullumque ei vel minimam tulit opem.

Grus, crassa Minerva avis, lupi promissiones veras esse rata, ad opus se accinxit, et longo collo os extraxit. At eam cito poenitere debuit, quod scelesto illi animali savisset: ei enim pactum praemium flagitanti: «Ingrata es — inquit lupus — quae quam incolume ex ore meo caput abstuleris, aliam praeterea mercedem a me postules». Nimis sero grus tum sensit, periculosam se fecisse medicinam lupo.

Hac fabula edocemur, qui mercedem meriti ab improbis desiderat, bis peccare: primum quoniam indignos adiuvat; deinde quia impune abire iam non potest.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:
(Ieiunii die)

Intritum cum ranis.
Crustula garo et alicibus interlita.
Edulium ex salivis carduis.
Pisces ad graticulam acti, viridi facula conspersi.
Scriblita quadragesimalis.

Iocosa.

TUCCUS amico:
— Eureka!
— Ecquid invenisti?
— Rationem qua per integros quadragesimalis temporis dies ieiunium perpetuem.
— Ut igitur?
— Manducans noctu.

TUCCUS Mauritano cuidam viro, macero, pannoso occurrit, qui ab eo stipem emendat:

— Haec miseria illa nigra — cogitat — profecto est, de qua ephemeredes abhinc aliquo tempore scribunt!

Aenigmata.

I.

Nomina sume trium, lector bone, bestiolarum;
Immundo gaudet prima iacere luto.
Altera perrodit chartas librosque vetustos.
Tertia, felino ne cadat ungue timet.
Vocibus his iunctis nascetur nobile verbum
Nos patienter onus sustinuisse iubens.

II.

Quinque notas tantum quaeres, mi lector, et
[istis]
Callidus interpres nomina bina dabis.
Primum nomen habes in messe, et cernis in illo
Nomen inesse rei, quae bona cuncta parit.
Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Ara, Ira, Ora,
Hara, Hera, Hora; 2) Fla-bellum.

Libri dono accepti.

- L. TABERINI. *Septimii Severi somnium*. Carmo latino con traduzione italiana dell'autore.
— Anconae, ex officinis polygraphicis.
- A. MINGARELLI Grizzanensis. *De morte Vergili*. Carmen in certamine poetico a cl. v. Carmelo Triumviro omnibus gentibus proposito laude ornatum. — Mutinae, typis Vincentii et Nep.
- G. FAVARO, Professore nella R. Università di Modena. *Giuseppe Hyrtl e l'Istituto anatomico di Modena*. — Mutinae, apud Studiorum Universitatem.
- ID. Antonio Scarpa e Girolamo Tiraboschi (A proposito di latino). — Mutinae, typis Societatis Mutinensis, olim Soliani.



DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Sed recte Richthofen commemorat, quantae opportunitates expeditioni Anglo-rum faviissent, Germanis non ita prospere successisse. Sic illorum navem *Discovery*, postquam primum hiemasset inclusa glacie, non potuisse glaciali tamquam carcere excidi (Gaussiam navem post primam hiemem liberatam esse), itaque factum, ut Scotti patria, in alterum annum quae necessaria essent, subministraret. Tamen summae Anglis tribendum esse laudi, quod oblata investigandarum rerum occasione, ut qui maxime usi expectationem omnium inventarum rerum varietate longe superassent.

Quarum hic tres nominandae sunt praeter ceteras. Nam primum perspecta accuratius est natura illius aequoreae glaciei, cuius post Rossum ab uno Borchgrevinkio brevi trahario¹ itinere anno 1900 extrema margo inspecta erat. Tum vero eadem ora, cuius altitudo inter viginti et octoginta metra est, versus orientem in septingenta chilometra est obita et ubi ea glacies desinit, reperta est terra Eduardi VII. Et postea ex revincto aërostato² prospectu, et multis et longinquis in glaciatum aequor excursionibus, revera cognitum est glaciem illam vastissimam et planam et continuam tabulam esse in complura millia quadratorum chilometrum extentam, eamque explere sinum antarcticae continentis, adhaerentem terrae, sed

magnam partem innatantem mari, cum marinis aestibus surgentem et subsidentem. Ipsa glacies sensim in apertum mare protrusa interdum ingentes deponit glebas: nam ora glaciati aequoris hodie aliquanto propinquior polo est, quam tempore Rossii. Sed glaciatam tabulam huic Germaniae magnitudine supparem in mari natare res est naturae – dicturus eram «phænomenon»; – est naturae antarcticae propria, ante inaudita. Deinde, quod haud scio an admirationem vulgi etiam maiorem habeat, Scottus duobus comitatus sociis (unus fuit Ernestus Shackleton, subcenturio, qui paucis annis post novo conatu magnam invenit gloriam; alter Eduardus Hadrianus Wilson doctor, qui anno 1912 cum Scotto ad polum accessurus at cùm eo moritus erat), nonaginta quattuor dierum traharium iter versus ipsum polum superavit. In glaciata planite praetèr praefulta littora terrae Victoriae euntis, quae tum ad polum vergere intellexerunt, ad gradum octogesimum secundum et septimum decimum punctum perveniunt. Hic stupentes adspectu cacuminum in quattuor metrum millia erectorum coguntur redire. Quod Groenlandini canes, qui principio trahas vexerant, propter ineptum pabulum mature interierant, viri atrociter ad procedendum impiedebantur, qui, nisi omnes vires et nervos intendifsent, nunquam tam longum, tam laboriosum, tam incertum iter confecissent.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

¹ Traharium iter nomino illud, in quo necessarius vietus et instrumenta subvehuntur trahis imposita.

² Aërostatus, in hodiernas linguis recepta vox, follis est gase impletus aëre leviore; unde fit, ut in aëre stet. Aërostatus igitur Graeci fontis vocabulo est «follis stans in aëre».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

9 MAR. 45